

heic adponenda est. Hereditas enim aut sumitur pro re adeundo adquirenda, sive pro jure universo defuncti, ut toto tit. D. & C. de adq. her. & sup. de reb. corp. & incorp. Ac hoc in significato vulgariter usurpatur, & congruit jus Saxon. lib. 1. Landrecht artic. 5. in fin. Mit welchem Gute der Mann erstirbet / das heist alles Erbe / es sey deñ Lehn. Aut pro modo hoc jus acquirendi usurpatur, ut in § fin. tit. preced. Unde in definitione hanc vocem Successionis interpretamur de universali causâ acquirendi, & modo, per quem adquirimus aliquid aut quid ad nos pertinet vel pertinere potest. Idq. 1. per ordinem tit. sive methodum quâ Justin. heic utitur, dum hereditatem refert inter modos acquirendi. 2. quia hæc definitio petita est à Cajo & Juliano lib. 6. ad edict. provincial. ubi de pet. hered. egerunt. Verùm hæc actio non habet nomen à re subjecta, quam persequitur, sed potiùs à causâ propter quam instituitur. Huc faciunt l. hereditas 50. D. de petit. her. & l. pecunie verbum 178. D. de V. S. & ea, quæ tradit. Zas. ad § actionum 28. de actionib. n. 77. ubi notat, in petitione hereditatis non esse necesse specificare res hereditarias, sed sufficere, petere hereditatem, eò, quòd hereditas sit jus Universale, & quoddam universum, quod universaliter peti debet. 3. quia vox hæc verbalis SUCCESSIO apud Jctos non rem ipsam, ut apud Gramm. sed jura demonstrare solet, ut probari potest ex vocib. Possessio, Obligatio, Usucapio, Stipulatio, Actio: quæ omnes non rem ipsam, sed jus de reb. constitutum denotant. (c) Res igitur particularis non est hereditas l. si rem legatam 6. D. de exceptionib. & heres non tantùm in commoda sed & incommoda succedit, nimirùm, si hereditas non sit solvendo l. quæ dotis 33. D. solut. matrimon. l. si te bonis 10. C. de jur. deliber. Sed contra illa verba argument. 1. quòd heres non tantùm ex asse, sed & pro parte potest scribi & institui: & quòd non tantùm unum hominem, sed & plures quis heredes facere potest § & unam 1. infr. de her. inst. Resp. & is qui pro parte scriptus, in partem universi juris succedit l. quum heres 25. D. de adq. her. l. pater filiam 14. D. ad l. Falcid. Sic singuli heredes in parte personam defuncti repræsantant Obrecht. 19. Diss. th. 5. Sicut enim unus ejusdemq. hominis personam plures in solidum non repræsantant: Sic etiam ut alterius personam quis solus & pro parte repræsantet, fieri non potest: sed si hoc facit aliquis pro parte, eam repræsantat totam, uti disputat subtiliter Ant. Fab. 13 Conject. ult. 2. Mercer. 2. Opin. 13. ita